

SOLUTIO :

485. — *R. ad 1^m Quæ.* Etiam illi qui in statu peccati mortalis v. g. adulterii, duelli, ebrietatis, furti, etc., sensibus sunt destituti, cum rigore loquendo eodem modo absolvi possunt, quia fieri potest ut isti lucidum intervallum habeant, Deo reconciliari velint, et suum desiderium ostendant per signa quæ non satis percipiuntur, licet sensibilia sint. *S. Lig. n. 483.*

486. — *R. ad 2^m Quæ.* Quid de BONIFACIO? Ingens premit difficultas, et lis magna inter Theologos hac de re agitur. Quidquid sit, laudandus BONIFACIUS, quippe qui, in quantum poterat, misero peccatori subvenit; absolute enim fieri potest, ut dispositus fuerit et aliquo modo confiteri voluerit. Sed debuit primum ipsi acclamare ut eum ad contritionem diserneret, necnon ad confitendum qualicumque modo adhortaretur, si forte ab ipso audiretur.

487. — *Objicies :* Homo sensibus prorsus destitutus, est incapax Sacramenti Pœnitentiæ, quia nullo modo confiteri potest. Confessio enim debet esse sensibilis; sed ea confessio non est sensibilis, quæ nullo modo apparet. Ergo...

R. Licet moribundus destituatur sensibus externis, sensibus tamen internis, seu usu rationis gaudere potest. Constat ex multis exemplis hominum graviter decumbentium, qui sanitati restituti, testati sunt se intellexisse omnia quæ dicebantur et agebantur circa ipsos, et conatos fuisse per signa et suspiria confiteri et dolorem de peccatis exprimere. Sic de se narrat Theologus *Marchantius* apud *Elbel*, n. 212 :

« Confirmor, ait, in hac ignotorum signorum declaratione, eo quod « mihi semel, extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, et « per omnia sensuum operatione destituto, contigit. Sensibus omnibus « destitutus eram, excepto auditu; ratione autem et iudicio firmo et recto « utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ip- « sius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ com- « mendabam, et pium aliquem affectum foris conabar præstare : quare « mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud « non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant « signa naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod, si « quovis modo aliquem catholicum sic oppressum reperirem, nec signum « aliquod mihi intelligibile dari posset, nihilominus sub conditione ab- « solverem, ex eo quod forte aliquod signum pœnitentiæ edat, etsi mihi « incognitum. »

CASUS XXI.

ABSOLUTIO HÆRETICI MORIENTIS 1^o.

OLIVARIUS, Sacerdos, iter agens per loca hæreticorum, cum in hospitium divertisset, ecce! incidit in hæreticum moribundum, sensibus destitutum et cum morte jam luctantem. Ignorat an fuerit hæreticus materialis vel formalis, an usu rationis gaudeat necne : quid faciet? Perplexitate primum torquetur; sed cum periculum sit in mora, mox insinuato et acclamato actu doloris de peccatis et desiderio confessionis, eum conditionaliter absolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An absolvi possit conditionaliter hæreticus materialis sensibus destitutus?*

2^o *An recte egerit OLIVARIUS?*

SOLUTIO :

488. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirm. probabiliter.* Ratio est, quia præsumi potest aliquatenus quod, hic et nunc veritatem agnoscens, velit in Religione catholica mori, et consequenter confiteri et absolvi; hoc enim absolute fieri potest. Nonne unus talis inter centum millia potest reperiri? Deinde, in casu necessitatis licet uti opinione etiam tenuiter probabili in favorem hominis periclitantis. Juxta alios, hæreticus materialis absolvi potest, quia vult implicite Sacramentum Pœnitentiæ recipere, cum omnia ad salutem necessaria admittere velit. *Lacroix*, n. 1866. — *Elbel*, n. 212 et 216. — *Reuter, neo-Confessarius*, n. 203.

Negant tamen plures cum *S. Lig. n. 483 in fine*, nisi hæreticus absolute expresse petat, quia talis homo nunquam præsumi potest dare signa doloris in ordine ad confessionem a qua summopere abhorret.

489. — *R. ad 2^m Quæ.* Laudandus OLIVARIUS, quippe qui, quo meliori modo potuit, saluti hæretici providit. Non constabat enim esse hæreticum formalem, et poterat haberi spes aliqua, licet tenuissima, valoris absolute solutionis ipsi conferendæ.

CASUS XXII.

ABSOLUTIO HÆRETICI MORIENTIS 2^o.

CÆSARINUS, hæreticus, homo bene morigeratus, et qui videbatur materialiter tantum errasse, morbo gravissimo correptus, jam ad extrema pervenerat, quin tamen rationis usu fuerit destitutus. Id inaudiens SYLVANUS, loci Parochus, confestim se ad eum contulit ut ejus saluti æternæ consuleret, et eumdem in hunc modum allocutus est : *Dic mihi, mi bone, nonne in Religione lutherana permanes, quia illam veram existimas? Nonne illam statim relinques, si falsam putares? Nonne confiteris Deo te peccasse, et vis confiteri homini qui te possit absolvere? Nonne mihi confitereris, si scires te debere hoc facere?* Ad singula annuit æger..., et Sacerdos ait : *Si est sufficiens ista confessio, ego te absolvo*, etc. — *Ex Gobat et Elbel.*

HINC :

QUÆR. 1^o *An absolvi possit hæreticus materialis, sensibus adhuc gaudens, et bona fide recusans Religionem Catholicam amplecti?*

2^o *An recte egerit Confessarius in proposito casu?*

SOLUTIO :

490. — *R. ad 1^m Quæ.* Communius negant Theologi cum *S. Lig.*, quia hæreticus quilibet recipere nequit Sacramentum Pœnitentiæ quod non vult, et cujus fidem nullam habet.

Attamen affirmant *Lacroix*, — *Reuter*, — *Elbel*, supra citati, cum nonnullis aliis, pro casu extremæ necessitatis. Ratio est, quia requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ absolute, aliquo modo implicite adesse possunt. Etenim hæreticus ille potest vere de peccatis dolere et implicite velle confessionem, v. g. si fateatur interroganti Sacerdoti quod vellet confiteri si putaret Religionem Catholicam esse veram Religionem. Hæc sententia videtur in praxi tenenda, quia non apparet improbabilis, cum a Theologis pluribus magni ponderis defendatur. Præterea, probabilitas tenuis vel tenuissima valoris Sacramenti in hujusmodi casu sane sufficit. Confirmatur ex praxi passim vigente in Helvetia et Germania, tales hæreticos in articulo mortis absolvendi.

491. — *R. ad 2^m Quæ.* Non videtur damnandus SYLVANUS, qui absolvit hæreticum materiale adhuc usu rationis gaudentem. Prudenter enim egit, siquidem in tanta extremitate non suppetebat tempus hæreticum instruendi et convincendi. Si autem Sacerdos ei dixisset falsam esse Religionem ejus incurrisset periculum moribundum a bona fide eruendi, absque certitudine eum ad veram Religionem adducendi.

Objicies : Ad absolutionem validam requiritur actus Fidei; atqui in hæretico actus Fidei supernaturalis supponi non potest : ergo hæreticus absolvi non potest.

R. Dist. Actus Fidei non potest supponi in hæretico *formali, conc.*; in hæretico *materiale, neg.* Ratio est, quia hæreticus *materiale* pertinet ad animam Ecclesiæ, licet a corpore excludatur : ipse igitur habere potest supernaturales actus Spei, Dilectionis et Contritionis in ea Fide fundati. *Lacroix, ibid.* — *Elbel, n. 214.* — *Gobat, etc.*

CASUS XXIII.

EXAMEN CONSCIENTIÆ 1^o.

BERNARDUS, plebeius homo, ad confitendum accedens, vix Ecclesiam fuerat ingressus, cum ad sacrum tribunal properavit, et illud sine mora ingressus est. Confessarius, qui hoc animadverterat, interrogavit utrum examen conscientiae confessioni præmiserit? Negative respondit ille. Tunc Confessarius cum indignatione eum repulit, mandans ut, conscientia prius debite excussa, denuo rediret. Abiit homo, et nunquam postea reversus est.

HINC :

QUÆR. 1^o Quale examen conscientiae requiratur?

2^o Quid de pœnitente et Confessario?

SOLUTIO :

492. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Pœnitens tenetur examen diligens conscientiae confessioni præmittere. Etenim omnia peccata, mortalia saltem declarare debet; porro ad ea declaranda requiritur eorum cognitio : ad cognitionem autem examen serium et diligens præmittendum est.

2^o Obligatio illa examen ante confessionem agendi, *per se* gravis est, quia gravis est obligatio singula peccata secundum speciem et numerum declarandi; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad finem hunc consequendum. Constat etiam ex *Conc. Trid. sess. 14, c. 5.* Dixi *per se*, quia fideles pii, qui frequenter confitentur, nec solent peccata mortalia committere, ad examen adeo accuratum, neque sub gravi tenentur. *V. Comp. n. 507 et 508.*

493. — *R. ad 2^m Quæ.*, seu quid de pœnitente et Confessario?

1^o Pœnitens merito potuit haberi ut suspectus de insufficienti examine conscientiae; homo enim plebeius, qui ab ingressu in Ecclesiam mox properat ad confessionem, non præsumitur communiter domi vel in via se ad confessionem præparasse. Ergo recte a Confessario fuit de examine interrogatus. Ille autem pœnitens, si a multo tempore confessus non sit, vel peccata mortalia committere soleat, a noxa lethali, ob examinis defectum *per se*, minime excusandus est.

494. — 2^o Confessarius recte primum quidem egit, rusticum de examine præmisso interrogando; sed postea male fecit, eum cum indignatione repellendo. Facile enim prævidere poterat id quod subsequutum est, scilicet pœnitentem ægre laturum esse hujusmodi objurcationem, nec amplius reversurum. Debuisset igitur indagare utrum ille plebeius homo, ex gravi negligentia, examen et animi dispositionem omiserit, vel ex negligentia levi, ex simplicitate, memoriae labilitate, ut senibus frequenter contingit. Ratio patens est. Confessarius enim, ut doctor et medicus spiritualis, tenetur pœnitentem instruere in his quæ sunt necessaria ad debitam Sacramenti susceptionem, præsertim quando pœnitens sibimet sufficere nequit. Confessarius igitur in casu non adimplevit munus patris, doctoris et medici. Officium ejus erat, ut defectus pœnitentis suppleret eum interrogando, præeundo, et cum caritate atque benevolo animo ipsum adhortando, ut alias accuratius se ad confessionem præpararet. Quod si, facta confessione, non adhuc videatur pœnitens ille sufficienter dispositus, et facile reverti possit, tunc amanter ad revertendum alia die induendus erit (1).

(1) « Cependant nous pensons que le parti le plus sûr, le plus utile au pénitent qui s'est approché du Tribunal sacré sans préparation, est de lui faire commencer sa confession en l'interrogeant sur les péchés dont il a pu se rendre coupable. S'étant confessé, quoique imparfaitement, de ses principales fautes, il reviendra plus facilement, si toutefois le Confesseur juge à propos de le renvoyer pour quelque temps. Ne perdons pas de vue ce que dit le Catéchisme qu'on vient de citer (*du Conc. de Trente*) : « Sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant. On doit, en tous cas, agir ainsi à l'égard de certains pénitents qui ne peuvent se confesser qu'en répondant aux interrogations du Confesseur. Malades ou non, il est des fidèles dont le Confesseur est obligé de faire en quelque sorte la confession. On voit beaucoup de chrétiens, dit Léon XII, se présenter aux ministres de la Pénitence sans être aucune-

CASUS XXIV.

EXAMEN CONSCIENTIÆ 2°.

1° ARNALDUS, qui a longo tempore non confessus fuerat, et in varia peccata mortalia inciderat, sine ullo examine conscientiae confessus est. Attamen, omnia peccata menti occurrentia declaravit.

2° SILESIUS scit quod, si diutius conscientiam excutiat, probabiliter inueniet aliud peccatum clavibus subjiciendum. Cum vero se examinaverit per tantum tempus quantum communiter reputatur sufficiens pro hominibus suae conditionis, ulterius examen non protrahit, sed peccata quae menti occurrunt confitetur.

HINC :

QUÆR. 1° *An confessio ARNALDI valida fuerit?*

2° *An SILESIUS examini conscientiae satisfecerit?*

SOLUTIO :

495. — *R. ad 1^m Quæs. Neg. per se.* Peccavit enim graviter, examen posthabendo, quia inquisitionem conscientiae sub gravi a Conc. Trid. praescriptam omisit. Nec obstat quod omnia peccata menti occurrentia, et fortasse omnia mortalia declaraverit, quia se evidenter exposuit periculo omittendi accusationem alicujus peccati gravis. Ergo graviter peccavit; ergo invalide confessus est; ergo iteranda confessio.

Dixi *per se*, quia, si ARNALDUS sit homo rudis minervae et bona fide ad confitendum, sine praevio examine, accesserit, valida erit confessio, praesertim si Confessarius, ad examinis defectum advertens, interrogando supplerit, *S. Lig. n. 471. — V. Comp. n. 507.*

496. — *R. ad 2^m Quæs.* SILESIUS non debuit se diutius examinare, nec invalida fuit ejus confessio. Nullibi enim invenitur praecipua discussio diligentissima, et talis, ut excludat formidinem quidquam aliud in examine ulteriori detegendi. Requiritur quidem discussio diligens, non vero summa. Non sufficit sane levis discussio conscientiae, sed debet esse seria, habito respectu ad qualitatem poenitentis, ad tempus quo hic confessus est, ad species et numerum peccatorum, ad peccandi consuetudinem, et alias circumstantias; sed non requiritur examen adeo productum, ut absit om-

« ment préparés, mais tels cependant que les dispositions convenables puissent succéder dans leur cœur à ce défaut de préparation, pourvu que le Prêtre, revêtu des entrailles de miséricorde de Jésus-Christ, qui n'est pas venu pour appeler les justes, mais les pécheurs, sache user à leur égard de zèle, de patience et de douceur. Puis ce Pape ajoute qu'on ne doit pas regarder comme manquant de préparation, ceux qui, par une suite de l'ignorance attachée à leur condition ou à la lenteur de leur esprit, n'auraient pas suffisamment sondé leur propre conscience, étant presque incapables de le faire par leurs propres efforts et sans le secours du Prêtre si toutefois, répondant aux soins du Confesseur, ils conçoivent ce sentiment de douleur et de repentir qui est nécessaire pour recevoir la grâce de Dieu dans le Sacrement. » (Lettre encyclique pour l'extension du Jubilé de l'an 1826.) Gousset, n. 428.

nis timor etiam fundatus quidpiam omittendi. Hoc enim innumeris scrupulis et anxietatibus obnoxium esset, et talis discussio vera conscientiarum *carnificina* foret; quare non valet istud: *Si plus se examinaret, plus inveniret; ergo tenetur se plus examinare.* Etenim non est tantum attendendum ad confessionis integritatem, sed etiam ad humanam conditionem, et Christi voluntatem, quae, interprete Ecclesia, est ut Sacramentum illud nimis onerosum non reddatur. — *Reuter, — Elbel, — Lugo, D. 16, n. 190 et seq.*

CASUS XXV.

CONFESSIO REPETENDA 1°.

1° AGATHA, senicula, accedit lacrymabunda ad TIBURTINUM, Confessarium: « Pater, inquit, agnosco nunc me nunquam habuisse sufficientem contritionem in praeteritis confessionibus, et defectu examinis multa omisisse peccata; insuper in ultima confessione de proposito eliciendo penitus oblita sum. Quid misera faciam, Pater? Jube quod vis. » — Mandat autem TIBURTINUS, Confessarius, ut generalem totius vitae confessionem instituat.

2° CANUTUS, senex, se accusat de duobus peccatis in pueritia contra castitatem commissis, et nunquam accusatis, quorum unius a juventute oblitus est; alterius autem etsi memor, confessionem omisit, putans praeteriisse tempus accusationis. Confessarius vero hæc audiens, dubitat an a CANUTO generalem confessionem exigere debeat, necne.

HINC :

QUÆR. 1° *Quandonam sit iteranda confessio? An in dubio de contritione, accusatione, vel propositi defectu?*

2° *Quandonam exigi vel permitti possit confessio generalis?*

3° *Qualis si methodus opportunior in confessione generali sequenda?*

4° *Quid de ratione agendi Confessarii in utroque casu?*

SOLUTIO :

497. — *R. ad 1^m Quæs.* Omnis et sola confessio certo invalida repetenda est. 1° *Omnis invalida*, quia omnia peccata ita clavibus subjicienda sunt, ut vi absolutionis remittantur. 2° *Sola invalida*, quia nulla est ratio cur valida repetatur. Non datur unquam praecipuum eadem peccata iterum accusandi, quando semel valide accusata sunt. Si adfuerit defectus in confessione valida, huic tantum supplendum erit. 3° *Certo invalida*, quia, in dubio de validitate, ex regula Juris, *standum est pro valore actus.* Insuper non potest dari obligatio certa peccata denuo confitendi, nisi certo de ea constet; atqui in hypothesis non certo constat de obligatione, cum dubium sit utrum valida fuerit confessio, necne. Ergo, in dubio de contritione, de proposito sufficiente, vel de accusatione debita, confessio non est *necessario* repetenda. *S. Lig. n. 502 et seq. — Comp. n. 511 et seq.*

498. — *R. ad 2^m Quæs.* 1° Confessio generalis a Confessario nun-

quam exigi potest, nisi confessiones præcedentes pœnitentis moraliter certo invalidæ fuerint. Constat ex modo dictis. 2º Permitti potest, aut etiam prudenter suaderi, quando, spectatis circumstantiis, pœnitens notabilem fructum spiritualem ex ea percepturus est, v. g. ratione humilitatis, devotionis, manifestationis conscientiæ ad directionem perfectiorem, etc. *V. Comp. n. 517.*

499. — *R. ad 3^m Quæ.* 1º Quoad ordinem confessionis. Plerumque via brevior et facilior est, si fiat declaratio peccatorum juxta ordinem mandatorum Dei et Ecclesiæ, et postea circa status particularis obligationes, si quæ particulares habeantur. Attamen, quoad pœnitentes pios qui sæpe confitentur et paucas culpas habent confitendas, nulla regula statui potest. Attendant ad officia sua quoad Deum, proximum vel seipos; vel potius dicant primum id quod magis conscientiam suam remordet... etc. 2º Quoad modum confessionis. Si pœnitens sit satis instructus vel confessioni assuetus, induendus est ut ipse peccata sua exponat; pollicetur tamen Confessarius se eum subinde interrogaturum esse, ut omnia recte perficiantur. Si autem pœnitens sit rudis fere totum onus confessionis in se assumere debet Confessarius, interrogando de præcipuis peccatis quæ a pœnitentibus talis conditionis committi solent. *V. Comp. n. 519.*

500. — *R. ad 4^m Quæ.* 1º TIBURTINUS, AGATHÆ Confessarius, procul dubio junior est et experientia caret. Nonne omnes circumstantiæ casus suadent hanc seniculam in scrupulos vergere, et contritioni plane satisfacisse? Nonne pleræque devotulæ de insufficienti dolore, examine et declaratione jugiter conqueruntur? Quod autem propositum ex oblivione non fuerit elicitum, non est ratio confessionem iterandi, ut sæpe dictum est, siquidem probabilissime valida fuit. TIBURTINUS igitur incaute et nimis præcipitanter egit, præcipiendo ut AGATHA confessionem totius vitæ institueret.

2º CANUTUS non debuit confessionem generalem retexere ratione peccati illius quod a juventute memoriam latuit, quia confessiones ab illo tempore bona fide peregit, ideoque validæ sunt. Repetendæ igitur tantum sunt eæ quæ factæ sunt, dum memoria peccati occurreret. Neque confessio generalis instituenda fuit a CANUTO ob peccatum aliud non amplius accusatum, quia credebat tempus obligationis præterisse, si reapse in bona fide versatus est. Sola igitur confessio sacrilega iteranda foret in simili casu.

CASUS XXVI.

CONFESSIO REPETENDA 2º.

POMPONIUS, Confessarius, audiendis confessionibus addictissimus, ab omnibus novis pœnitentibus generalem totius vitæ confessionem exigit, quo melius eorum conscientiam cognoscere et dirigere valeat. *A fortiori* devotulas omnes confessionem generalem instituere aut iterare cupientes ibentissime accipit, et per varios menses in ea conficienda detinet.

HING :

QUÆR. *Quid de ratione agendi POMPONII?*

SOLUTIO :

501. — *R. ad Quæ.* Quam imprudenter agat POMPONIUS nemo non videt : confessio enim generalis, ut supra dictum est, exigi non debet, nisi ad præteritas confessiones reparandas; neque suaderi potest, nisi, spectatis hinc et inde incommodis et commodis, fructus notabilis pro anima pœnitentis speretur. Tu vero, o POMPONI, quoties tempus et oleum perdidisti! Quoties in intricatissimas ambages te tuosque pœnitentes coniecisti, confessiones totius vitæ sine causa sufficienti permittendo, vel etiam suadendo? Quare ad hebdomadas et ad menses protraxisti confessiones, quæ facile brevissimo tempore perfici poterant? Caveto imprimis, o junior Confessarie, a quibusdam devotulis, quæ velut infaustæ harpyiæ, tuæ benevolentiam insidiantes, Confessiones generales indesinenter iterare et sine fine producere volunt.